

voluntatae, gratia devotae intentionis, promissimus dare singulis annis decimas nostrarum olivarum monasterio S. Joannis Apostoli et Evangelistae, die videlicet dedicationis ejusdem ecclesiae, quam viri religiosissimi Dominus scilicet Laurentius Spalatensis Archiepiscopus, una cum Apocrisariis Romanae Sedis Episcopo Fulcino et Gebizone Abbate SS. Bonifacii et Alexii, nec non et Praestantio ejusdem urbis episcopo dedicaverant; eisdem etiam donum supradictum collaudantibus, ac firmiter corroborantibus, et auctoritate Apostolica interdicentibus, ne umquam ab aliquo praesumatur violari. Quod si forte aliquis temerario conatu abnegaverit, iram supernae Majestatis incurrat, omniumque Sanctorum maledictionem possideat, et haec donatio acta, sancitaque fuit anno ab Incarnatione D. N. J. C. millesimo septuagesimo sexto. Indictione vero decima quinta; et hoc Apostolante Gregorio septimo Papa, apud Graecos Michaelae imperante, apud Sclavos Svinimiro regnante, Petro in eodem monasterio Abbatiente, Dominico Justo Belgradi Priorante.

Farlati: Illyricum Sacrum T. IV. p. 5.

## XII.

*Anno 1076. die 9. Octobris.*

Svinimir, Croatorum et Dalmatinorum Rex, in fidelium suorum maxima congregatione, assentientibus Praelatis et Baronibus Regni, Ecclesiae Spalatensi Privilegium Tirpimiri et Mučimiri confirmat.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego quidem Svinimir Chroatorum atque Dalmatinorum Rex, residente me in Regno meo, anno Dominice Incarnationis MLXXVI Ind. vero XIV die IX mensis Octobris, ac divina gratia confortante suffragantibus meritis beatissimorum martyrum Domnii & Anastasii, ob quorum reverentiam et devotum amorem ven. presulis mihi spiritualis patris d. Laurentii ecclesie spalatensis, in qua eorum corpora requiescunt, per presentem paginam do, et confirmo eidem D. Archiepiscopo & suis successoribus, ac ipsi ecclesie sue in perpetuum ecclesiam sancti Georgii de Putalo cum toto territorio suo a rupibus montis signatis ex utraque parte usque ad mare, juxta donationem et confirmationem Regum predecessorum meorum, videlicet Tirpimir et Mucimir, ut in ipsorum conscriptis tabulis vidimus contineri, cum servis et ancillis in eodem territorio positis atque commorantibus, presentibus et futuris, seu in eodem territorio in posterum residere volentibus, ita tamen quod . . . . Dominus Archiepiscopus, ejusque successores temporaliter & spiritualiter merum dominium . . . . in ipsa manentibus Villa, et eorum bonis mobilibus, et immobilibus . . . . prenomina spalatensis ecclesia perpetuo possideat pacifice